



TÖRTÉNETI LAPOK.

FELKÉPŐ SZERKESZTŐ
K. PAPP MIKLÓS.


Megjelenik minden vasárnap. — Előfizetési ár: Félévre 6 f. Egész évre 12. f. — Szerkesztőségi iroda: Lyceumi nyomda. — Kiadó hivatal: Gr. Teleki Domokos ház nagypiacz.

Tartalom: Egy felségsértési pör történetéhez. (V. közlemény.) Közli K. Papp Miklós. — Maximilián rendelete Hagymási Kristófhoz. Közli Szilágyi Sándor. — A bécsi titkos levéltár okleveleiből. (XVII. s befejező közlemény.) — Kazinczy Ferencz eredeti leveleiből. (III. közlemény.) Közli K. Papp Miklós. — Levéltári apróságok. Közli Doby Antal. — Tárca: Egy uti napló. (IV. közlemény.) Közli K. Papp Miklós. — A magyar színészet történetéhez. (II. közlemény.) Közli K. Papp Miklós.

EGY FELSÉGSÉRTÉSI PÖR TÖRTÉNETÉHEZ.

Közli: K. Papp Miklós.

(Folytatás.)



Generalia Statuum et Ordinum Reformatorum Transylvaniae Gravamina, 10-ma Julij a. c. cum Supplici Libello in Personali Audientia Sacratissimi per Deputatum, nunc quidem Succinctissime apposita, quod si tamen necessum fuerit, uberius deducenda.

Status et Ordines Transylvaniae Reformati ex non observato Divi Leopoldi Diplomate maxime se gravatos sentiunt, in quibus ut ad mentem ejusdem Diplomatis congrua adhibeatur medela, humillime supplicant, et quidem

Primo. Vi Primi Articuli mentionati Diplomatis, cum omnes aequae quatuor re-

ceptae Religiones condendarum Ecclesiarum jure gaudeant, tantum tamen abest, hoc Reformatos jure frui posse, quin vel in ipsis locis, ubi ob aetatem contractis ad ruinam vitis templa et oratoria stragem minantur, ab ipsa etiam renovatione prohibentur prout in Comitatu Interiori Szolnok, in Possessionibus Deés, Deés-Akna. etc.

*

Diplomatis Leopoldi Articulus 1-mus. In casu ibidem receptorum Religionum, templorum, scholarum, parochiarum, aut introductionis cujuscunque alterius Cleri, et personarum Ecclesiasticarum, quam ibi nunc exstant, nihil alterabitur, contradictionibus quibuscunque sive sacri sive profani ordinis nihil unquam in contrarium valentibus; ita tamen, ut catholici propriis suis sumptibus adeoque citra omne aliarum Religionum gravamen Claudiopoli in praesenti devotionis suae loco sibi Ecclesiam, nec non Albae Juliae Templum minus olim a Christophoro Bathoreo erectum, nunc desolatum reaedificent; idem Catholici, si peregrini et pauci sint, ubique locorum privatim, si vero eorum multi, tunc publici Religionis suae exercitii et condendarum Ecclesiarum jure gaudeant, aequae ac aliae in Transylvania receptae Religionis, tali casu, ubi nimirum in aliquo loco numero praevalerent, gaudere cosveverunt.

*

Secundo. Pluribus jam in locis, praesertim in iis, quae Jurisdictioni Fiscali subsunt, beneficia, utpote: Quartae, Decimae Principum Donationibus parochiis loci collata, aut penitus ab iis sunt subtracta, aut ubi aliquid

adhuc administratur, non nisi multis eum injuriis obtineri possunt, subtracta vero penitus sunt in Oppidis Kolos, Hátszeg, Vajda-Hunyad, Küküllővár, in possessione Tür, Balásfalva, Gálfalva, Radnoth, Mező-Bodon, Ebesfalva, Fogaras. Prout haec publicis edocta sunt inquisitionibus.



Diplomatis Leopold. Art. 2. Confirmamus fidelibus Statibus et Ordinibus omnes Hungariae Regum similiter omnium a tempore separatae ab Hungaria Transylvaniae ejusdemque Principum Donationes, Collationes, Privilegia, Armales, Titulos, Officia, Dignitates, Decimas et denique quaevis Beneficia ac Bona, sive privatis, sive civitatibus, sive cujuscunque ex receptis Religionibus addictae Ecclesiae, parochiae vel scholae, tam in Transylvania, quam in partibus Hungariae, in Siculia et Debreczino praedictis factas et datas, etiamsi aliquando ad aliquam Ecclesiam, Conventum vel Capitulum pertinuerit.



Tertio. Licet expressivis patriae legibus cautum habeatur, ne scilicet plebs rustica ad amplectendam quocunque sub praetextu aliam Religionem adigatur, cum dolore nihilominus Status et Ordines Reformati Pajanensium factam hoc fine incarcerationem contemplari debuerunt.



Apr. Const. P. I. Tit. 1. Art. 8. Determinatum est, quod nemo plebem sibi subjectam, subditos, domesticos, vel cujuscunque conditionis homines, vi aut poenarum comminatione ad suam amplectendam Religionem cogat.



Quarto. Non sine maximo animorum dolore Status et Ordines Reformati praeclosos esse ad Sacratissimum et Benignissimum Principem gravaminum suorum Religiosorum aditus experiri coguntur, pro cujus apertura, tam per literas, quam per Deputatum Joannem L. B. de Lázár humillime institerunt, nunc iterum supplicant, ut toties quoties necessitas postulaverit, Deputatum cum precibus de occasione in occasionem incidentibus ad Augustam Aulam expedire liberum sit,

nec ullo sub praetextu ab Augustissima Principis Haereditarii praesentia arceantur; magna enim consolatio est, in tempore Principem accedere, et de Statu subditorum suorum identidem informare posse.

Quinto. Cum aliquot abhinc annis occasione cessionis templi Cathedralis Carolinensis ac Gymnasii celebris, ut et beneficiorum ex Reformatorum foundationibus ad ea spectantibus, per ejus temporis Generalem armorum Praefectum Comitem a Steinville, in Publicis Principatus Comitibus de bonificatione eorundem fide optima Status et Ordines Reformatorum assecurarentur, cum tamen saepius ab illo tempore praemissae ejusdem fidei observantiam sollicitarent, nihil prorsus obtinere potuerunt, ut igitur haec quoque Reformati in aequivalenti restituantur humillime supplicant.

Sexto. In officiorum distributionibus cum paritas inter Catholicos et Reformatos juxta Resolutionis Leop. 14-a Maji 1693 emanatae Art. 6. observanda esset, nulla tamen harum duarum Religionum aequalitas et ratio habetur, nam in utroque Consilio Reformati superantur, in Intimo quidem Catholici sunt septem, Reformati tres, in Tabula Regia Judicaria Catholici novem, cum ipsis simul Prothonotariis, Reformati vero quinque.



Resolutionis Leop. 14. Maji 1693 emanatae Art. 6-tus. Inhoeret porro Caesareo-Regia Majestas Diplomati suo Regio, ut officia Transylvaniae indigenis conferantur, et modum hac de re 8-vo et 9-no ejusdem Articulis expressum rite observari faciet, eorumque virtute, ad duodecimvirale Consilium Intimum, uti et Tabulam Regiam pariter duodecimviralem ex singulis quatuor receptarum Religionum tria subjecta apta, si tot pro iisdem ex qualibet Religione reperiri possunt, cooptabit, ubi vero ex Unitariis et August. Confessioni addictis tres idoneae personae reperiri nequirentur, defectum hinc ex Catholicis et Reformatis, ad Consilium Intimum, aequae ac Tabulam Regiam, percepto Gubernii sensu, ita supplebit Sua Majestas, ut aequalis harum duarum Religionum ratio et numerus in utroque Consilio habeatur.



Septimo. Domini Catholici Reformatos ab omnibus officiis Cardinalibus exclusos volunt, et quidem praetendunt nullam in Diplomate Leopoldino in eorum favorem hac in parte mentionem injectam esse, imo ipsam quoque officiorum paritatem, non nisi in Gubernio et Tabula Regia praetendi posse, consequenter hoc in passu legalem quaerulandi ansam non habere. Ex hoc igitur male fundato Reformatisque injurioso principio Gubernatoris, Statuum Praesidis, Cancellarii, Supremi Commissarii, Tabulae Regiae Praesidis Officiis Reformatos privarunt, imo ipso etiam Exactoratus Praesidio privare satagunt.

Quod vero contra mentem haec ac intentionem fiant Diplomatis Leopoldini Art. 7. et 8. manifeste docent, quos in Resolutione Sua 14. Maji 1693. Art. 6. latius divisus Imperator explicat. Vide supra numero 4-to, in particularibus vero suis Cardinalia officia, ut et Cancellariatum spectantibus rescriptis, quomodo ista paritas intelligenda sit, et an ad Cardinalia officia applicari possit, uberius interpretatur.

Denique cum tempore transactionis Transylvanicae Reformatorum Religio primas teneret ipsosque Reformatos excusso Ottomanicae tyrannidis jugo, Transylvaniam ad avitam devotionem redire Augustissimaeque Aulae protectioni sese subjicere auctores fuisse, nemo inficias iverit, hinc vel ex hoc Principio legalis ipsis exurgit injuria, quod dum transactionis tempore in possessione suorum officiorum essent, et satis superque de eorum securitate in Diplomate Regio cavissent, nihilominus tamen per Dominos Catholicos nunc in quaestionem sumi, imo licentiose affirmari, quod Cardinalia officia ad paritatis sensum accomodari non possint, cum tamen 9-nus citati Diplomatis Articulus non obscure innuat, quid juris Domini Catholici supra Reformatos habuerint et de facto habere possint et debeant.

*

Diplomatis Leop. Art. 7. Supremum Status Directorem Nostrum pristinis temporibus Vajvodam dictum, vel ejus vices gerentem ex Indigenarum Transylvaniae Nobilium ac Procerum Nostrorum numero sive Catholicae, sive alterius ibidem receptae Religionis

fuerit, si fidelitate et meritis praepollent, sumemus. Idem quoque de munere Generalis Militiae Transylvanicae, Cancellarii Supremi, Consiliariorum Intimorum, Comitum Supremorum et Capitaneorum inter Siculos, Magistrorum Prothonotariorum, aliisque Dignitatibus antea solitis observabimus.

Et haec

Ibidem Art. 8-vo.

Cum tali modificatione clementissime largimur, ut Gubernatoris, Summi militiae Transylvanicae Generalis, Cancellarii, Intimi Consiliarius et Prothonotarius candidatos, si quando munia resarcienda venerint, nobis ad confirmandum praesentent, ut tanto tranquillior diversarum nationum status persistat.

Rescripti Leop. 1693. 29. Apr. expediti. Art. 10-mus.

Quemadmodum vero nullo ambitu vel factionibus officiorum nostrorum collationem, sive in Aula Nostra, sive in ipsa Transylvania interveniente a nobis exprimi patiemur. etc.

Sed solam personarum qualitatem sine Religionis discrimine in suis officiis conferendis, et collatis conservandis, secundum Clementissimam Resolutionem Nostram A. 1693. spectari et considerari volumus.

Rescriptum Leop. intuitu Cancellariatus officii.

Leopoldus etc. Non ingrata nobis est persona Petri Alvinczi a Vobis pro Vestro Cancellario in Aula Nostra svasi... quem ad officium praedictum admoveere non dubitarem, nisi paritatem Catholicorum inter et Reformatos juxta Resolutiones Nostras in ejusmodi promotionibus observare studeremus. Cum igitur Cancellarius ex hac ultima Religione assumptus sit, ordo ipsaque sponsio nostra postulat, ut subjectum Catholicum, qualitatibus et fide praestans in Vestrum Cancellarium Aulae Nostrae assumatur.

*

Octavo. Eo res Statuum et Ordinum Reformatorum jam devenit, ut non saltim ex Cardinalibus officiis exclusos se videant, sed in subalternis etiam periclitari, licet de eorum vice agatur sentiant. Non possunt enim hanc moram, qua Inclytae Cancellariae Referendariatus officium in suspensio haeret, aliter interpretari, in quo si frustari illos contingat,

*

summo affici dolore dubium erit nullum, praesertim cum in ejus possessione fuerint, nam Baro Szentkereszti primum, mox Samuel Alvinczi ambo Reformati eodem functi sunt officio. Nec quod D. Baro Pongrácz Catholicam amplexus sit Religionem, juribus Reformatorum praesudicare potuit, cum istud a libera ejus voluntate pependit, hoc vero non nisi summa Leopoldinum in Diploma injuria foret.

Nono. Inhaerent igitur Status et Ordines Reformati Diplomati Leopoldino, et ut aequalitatem officiorum cum Dominis Catholicis obtineant, humillime supplicat, cum de facto ex Dominis Catholicis in publicis officiis constituti Nro 36. id est: Triginta sex habeantur, ex Reformatis vero non nisi decem et quatuor.

Proinde ut Praesidium Exactoratus cum ejusdem Assessoratu unico, Referendariatus, Praefectura Comitatus Interioris Szolnok, Registratoratus Inclytae Provincialis Cancellariae, Requisitoratus Kolos-Monostor ac Albae-Carolinensis gratiose iisdem resolvantur, submississime instant.

Hoc fine praesentant Candidatos pro Referendariatu Inclytae Cancellariae Transylvanicae: Michaellem Comitem Teleki, Joannem Kemény, Stephanum Daniel, Joannem Cserei, Michaellem Alvinczi, omnes ejusdem officii capaces, vita, moribus, parentumque meritis conspicuos, pro Supremo Comite Comitatus Interioris Szolnok, Comitem Adamum Teleki, Baronem Ladislaum Kemény, Baronem Volphgangum Bánffi, pro Praeside Exactoratus Comitem Emericum de Bethlen, Michaellem Comitem Teleki, Stephanum Daniel, pro Registratore Inclytae Provincialis Cancellariae Samuelem Récsei, pro Requisite Kolos-Monostor Ladislaum Mósa, pro Requisite Conventus Albae-Carolinensis Franciscum Bán-Horváthi.

Ut igitur horum condigna habeatur ratio atque diplomatica, in officiorum Distributionibus paritas reducatur, humillime Status et Ordines Reformati supplicat.

(Folytatása következik.)

MAXIMILIAN RENDELETE HAGYMÁSI KRISTÓFHOZ.

Közl: Szilágyi Sándor.

Békes Gáspár II. János király követe volt Maximiliánál. Midőn János Zsigmond meghalt, Maximilian Békest visszaküldte Erdélybe. Célja volt Erdélyt magának megszerezni, s e cél elérésére Békest ügynökül kívánta felhasználni. Az e tárgyban Hagymáshoz, az akkori legkiválóbb államférfiak egyikéhez intézett rendelete így hangzik:

1571. marc. 28.

Maximilianus Secundus Djvina favente clementia Electu manorum Imperator, ac Hungariae et Bohemiae etc. Rex. etc.

Magnifice, fidelis, nobis dilecte. Qualis Superiori aestate facta fuerit inter nos, ac Serenissimum quondam Principem Transylvanicae etc. affinem et consanguineum nostrum dilectum transactio, atque concordia, scimus tibi abunde satis constare, eo, quod Princeps ipse defunctus totum hoc negotium inter alios, quibus maxime fidebat, tecum quoque, sicuti certo quidem edocti sumus communicarit, ac insuper ad servanda ea quae ipsum pacta et conventa, atque solennibus superinde literis uti ratificata et confirmata sunt, firmo etiam fidei Juramento nob rit. Sublato itaque nuper e vivis, quod sane dolenter nobis accidit, . . . Principe tuo, cum universae illius Provinciae, ejusdemque salutis et ulterioris permansionis curas, vigore etiam illius transactionis jam nobis incumbat fidelem nobis dilectum, Magnificum Gasparem Bekes de Kornyth, qui hactenus Oratoris munere hic apud nos functus est, diutius hic remorari minime volumus, quin potius ad te et reliquos omnes fideles nostros Transylvanos cum celeritate remittere. Qui quidem cum a nobis abunde satis coram intellexerit, que nostra sit sententia de conservando post istam mutationem etiam in posterum quieto et tranquillo istius Provinciae statu et latam satis de pluribus rebus acceperit a nobis instructionem, injunximus illi, ut inter reliquos isthic praecipuos nostros fideles tecum

quoque nonnulla agere et nostro nomine tibi referre debeat. Quare fidelitatem tuam clementer requirimus et hortamur ut iis, quae nostro nomine tibi retulerit, fidem indubiam praestare, iisdemque ita te accommodare velis, sicuti de te plane confidimus et datae nobis fidei quoque tuae vinculum tibi haud dubie suadebit et cum ad status et Ordines trium nationum partium Regni nostri Hungariae Transylvanarum speciales nostras dederimus literas, quibus eos commonefecimus et hortati sumus de iis, quae ad retinendum etiam deinceps istius Provinciae pacatum et tranquillum statum pertinent, sicuti a dicto Gaspare Bekes fusius cognosces, te clementer hortamur, ut in iis omnibus Regnicolas bono et optato fine perficiendis, opera, consilio et promotione tua ipsi Gaspari Bekes et caeteris, quibus hoc idem negotium commendavimus, ita assistere velis, ut singulare tuum erga nos studium et sinceram fidem vel hac potissimum vice demonstres. Pro quo quidem tuo fideli erga nos obsequio promptaque diligentia nostram tibi vicissim gratiam et clementiam pollicemur, quocumque tempore et occasione admodum propensam atque etiam si constantem erga nos fidem tuam detrimentum aliquod tibi accederet, nostra id gratia et munificentia tibi rependere curabimus. Neque omitteremus quin sicuti in defuncti Serenissimi Principis tui haud vulgari extitisti gratia, ita nos quoque non minus experiaris clementissimum tibi Regem atque Dominum. Qui sicuti publicas omnium, ita tuas quoque tibi cum illis communes libertates, privatasque defuncti Domini tui gratias et donationes tibi miter sit observaturus. Datae in Arce nostra Regia Pragensi die vigesima octava Mensis Martii Anno etc. septuagesimo primo. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungari octavo, Bohemici vero Vigesimo tertio.

MAXIMILIANUS mp.

JOANNES LISTHIUS Episcopus
Vesprimiensis mp.

Magnifico Christophoro Hagmas de Beregzo fideli nobis dilecto.

(A m. k. kamarai levéltárban levő másolatról. Acta Publ. 7. 27. no. 6.)

A BÉCSI TITKOS LEVÉLTÁR OKLEVELEIBŐL.

XXXI.

Szénási István tudósítása a Békési Gáspárral lakodalma alkalmával folytatott értekezédsről, melyben elő vannak adva Békési nézetei az iránt, mily feltételek mellett óhajtja ura János Zsigmond az egyességet a császárral a török ellen. Kelt 1567-ben.

Ista sequentia declarata sunt ordine et articulatim a Bekes ex scitu Transiluanj et a Senaschj etiam scriptis annotata.

Relata Stephanj Senaschi ex colloquio et conversatione cum Bekes in suis nuptijs.

Quod Suendio sua seruitia commendarit.

Quod tractacio inter illos clam habeatur, ne vt antea nunciata illorum ad portam detegantur.

Propterea dictum Senaschi oportuisse se illo juramento astringere, quod de infrascriptis nemini quicquam detegere vellet nisi Domino Forgach et Suendio.

Quod cognoscant Suendum pro principalj viro et studioso christianitatis, et quod illum rogent per deum et obtestentur, ne velit paci esse contrarius, sed in ea perficienda considerata presentj necessitate et periculo eam gratiam ac fidem prestare, vt tota christianitas de hoc testarij possit.

Hanc tractationem neminem ex consiliarijs preter ipsum Bekes intelligere et principem.

Primum se hoc petere vt Suendus intelligat, que sit voluntas caesareae maiestatis de pacis conditionibus, que velit pro se habere, que principi suo relinquere ex bonis, de quibus iam est controuersia.

Quare sua caesarea maiestas non deberet principi suo assignare in suis regnis et ditionibus aliquem locum, ad quem in necessitate et si propter sinceram cum illa amicitiam aliquid durius illj contingeret, recurrere et refugere posset, ne illj plenum exilium patiendum esset, sicutj olim principj

alicuj Ciprio et aliquibus principibus Italie; vellet etiã eo res suas preciosas reponere, quae post mortem illius ad caesareae maiestatis manus essent deventurae et ad neminem alium. Nuncius affirmat, quod Bekes illj iuravit, eum pro millione aurj adhuc habere in gemmis et rebus preciosis.

Quales sint consiliarij caesaris, quod propter bona Dragffij tales motus fiant, cum de conservatione christianitatis agatur, et ita merito vnus rej contra aliam respectus et ponderatio haberi deberet; et quanquam res suj principis iam in talem statum deuenissent, sicutj palam esset, tamen etiamnum vellet et cuperet et mallet sub alis suae maiestatis viuere, modo illj hoc posset contingere et quod non prorsus abijceretur.

Quod Bekes Senaschj ista referret ex solitis principis sui ore et pectore, et quod credere deberet sincere id fierj, et quod princeps suus se cuperet auellere a Turcis.

Habere caesaream maiestatem in Bohemia et Slesia multa bona, et non deesse locum, vbi principem suum prouidere posset, si non esset locus commodior, daretur illj Bardouicz, eo suum principem fore contentum.

Addidisse Bekes ex se ista proponere, sed iam esse tempus et occasionem huiusmodj tractandj.

Quod si maiestas caesarea nollet principem suum recipere, et huiusmodj sua sincera oblatione esse contenta, sed omnino illum oppressum cuperet, quod haud dubie ille omnem reliquum thesaurum et vitam esset econtra profusus et extrema queque tentaturus.

Dicere enim illum, quanquam non sum equalis potentia et dignitate caesareae maiestati, tamen sum princeps quoque, et legitime rex natus, et ex parte etiam electus.

Quod si caesarea maiestas ex sincero corde et amicitia cum illo tractauerit et egerit, illud haud dubie omnia etiam ex sua parte pro bono publico facturum, et quicquid vsque salua sua dignitate facere poterit.

Si caesarea maiestas vere agit christianum principem et imperatorem, quod haud dubie res istas bene ponderabit, neque

suum principem volet conculcare pedibus, postquam se vult suae maiestati subdere et submittere.

Quod si Germanj vel suae maiestatis consiliarij nolint ista bono animo accipere, tum satis apparere, illos non bonum publicum christianitatis sed tantum interneconem gentis Vngarice expetere.

Quod optaret se posse semel cum Suedio constituj in colloquium et fusius ista omnia coram explicare.

Addidisse aliquando in alijs cum ipso Senaschj colloquijs Bekes, si caesarea maiestas noluerit cum principi suo justis conditionibus transigere, principem suum protestarj coram deo, et super hoc sacrum sacramentum sumpturum, quod non sit causa futurorum malorum et calamitatum, sed maiestas caesarea, que illum non velit acceptare, sed omnino perdere.

Se nescire, quo consilio, qua consultatione [et conscientia id factum sit, quod hactenus quoties de concordia tractatum sit, semper ad portam fuerint nunciata singula, cum magno suj principis periculo, vnde necesse illj postea fuerit magnis muneribus et corruptionibus se eliberare.

Que antea per Stephanum Batorj tractata fuerint et a caesarea maiestate petita, quod videlicet prouinciales ciuitates et prefectj castrorum deberent caesareae maiestati iuramento astringi, hoc nullo modo propter Turcas fieri posse, cum haud dubie certum illis periculum et pernicietas inde esset expectandum.

Sed si tale quid deberet fieri oportere quod tractarentur, et fieret valde secreto, et quod primo de pace totaliter concordaretur, postea principem suum laboraturum, vt Turcum detineret muneribus.

Quod si vero omnino bellum et aperta hostilitas a Turca impenderet, et nullae aliae rationes et corruptiones proficerent, tum principem suum se etiam manifesto Turcis oppositurum, et modo miterentur illj a sacratissima maiestate tria vel quatuor millia pixedariorum in auxilium, ipsum postea curam suscepturum huius prouintiae defendendae et in eum finem correspondentiam etiam habiturum cum vicinis Moldauis et Walachis.

Quod si caesarea maiestas animum vellet adijcere ad hanc pacem, non esse quod postea vehementer esset sollicita de prouisione huius prouinciae et arcium. Item principem suum tantum collegisse armorum, tormentorum, pulveris et globorum, quod et Transilvanie et ipsis locis prouidere posset.

Hac ratione caesaream maiestatem etiam facilius in superioribus partibus acturum cum Turca, si hic non impediretur et distraheretur.

Debere autem maiestatem caesaream bene considerare, quod non interveniente ista concordia et correspondentia, si semel Transilvania in potestatem Turcarum redigeretur, quod in posterum est irrecuperabiliter apud illos permansura.

Esse etiam in Turcarum ditione et inter Turcas ipsos plures precipuos adhuc viros, christianae et d. Pauli religionis, cum illis habere suum principem aliquam intelligentiam, et illos promittere, si christianj bono modo insurgerent, quod et ipsi contra istos canes essent insurrecturj et omnes suas vires in hunc finem cum principi suo conjuncturos.

De pace nihil adhuc certj sperarj posse, verum quidem esse, et hoc etiam a Mechet Bassa ad principem suum esse scriptum, quod isto anno Turcarum jmperator personaliter egredj non posset, sed in casu quod pax non concluderetur, quod begum Bosniensem et bassam Budensem cum auxilio centum milium Tartarorum versus Austriam missurj et ibj omnia deuastaturj essent, Beglerbegus autem Graeciae cum Patau Bassa et Temesiensj ad obsidionem Agrie et Tokajj essent exiturj, postea facile illis futurum expugnatis ipsis locis liberarum ciuitates et montanas etiam in potestatem redigere vel tributarias facere, pacem vero non concludendam fore, nisi Vesprimium et Tatta destruantur, et tributum trium annorum exoluatur.

Illius etiam animj et consilij esse Turcas, quod pace non succedente omnino ad annum 69 velint jmperatorem suum ad istas partes educere, et Jaurinum et Comorronium expugnare, vt postea libere per Danubium tormenta et commeatum ad oppugnationem Viennae ducere possint.

Bekes diligenter nos admonuisse, quod arj Agriensj bene prouideretur, quia haud dubie primo obsidenda foret, et quod Turcae scirent illam male instructam esse et prouisam.

Bassam Temesiensem nunciasse ad portam, quod adiungant illj decem millia frumentorum et quod ibit Viennam vsque et omnia deuastabit.

Item si in postrema expeditione habuisset adhuc octo tormenta et 1000 Janisberos, quod Agriam obsedisset et expugnasset imo quod illum vix ibj expectassent, adeo illic omnia fuisse male prouisa. Quod jmperator Turcarum iam faceret inquirere in omnes Spahias per vniuersas suas prouincias, vt illis, qui nimis ampla possiderent bona, pars adimeretur, nouis Spahijs consignaretur; et ita numerum Spahiarum mirabiliter auctum irj. Item quod ordinasset, quod in posterum quilibet Spahia vnum ducatum pro tributo jmperatorj solueret, et quod isto et alijs modis plurimas pecunias pro futuro bello colligeret, et vellet etiam adhuc octo millia Janischerorum instituere et ordinarie intertenere.

Quod Venetj ad centum et vnum annos de nouo fecissent iudicias cum Turca.

Quod res Persarum cum Turcis essent in hoc statu, quod Persa misisset legatum et expostulasset cum moderno jmperatore de promissis paternis et suis, nempe quod interfecto fratre illius vellent restituere sibi Babiloniam, Naxianum, Van et Tebris, fratrem fuisse interfectum, patrem quoque iam esse mortuum, literas et promissa sua apud se esse, restitueret ergo que promisisset et ex fide teneretur.

Turcam respondisse, nisi restitueret Persa tesauros fratris suj cum omnibus alijs rebus ibi relictis, non tamen nihil se illj restitutum sed etiam reliqua adepturum.

Adiecisse tandem Bekes, quod si pax non sequetur, vererj se, quod iterum cogentur exire cum Turcis contra Germanos et christianos, quod tamen nollent, jam esse tempus vt concordia fieret.

Quod Suendium, antequam exiret ex ista prouincia, laborare in hoc debere, nam multos esse qui dicant illum solum hactenus

obstitisse, quo minus pax locum habuisset, se bene scire, quod prestare multum possit apud caesaream maiestatem, si velit.

Quod denuo rogaret Suendum, quod vellet credere, ista omnia sincero animo, non ficto, et non in usum malum et propter aliquam vindicationem sed propter communem conservationem proponj.

Ad supradicta omnia addidit nuncius supradictus Senaschj ex se, quod illj omnino videretur esse iam Bekes et alios rectoris animj et consilij, mouerj illos morbo principis et morte jmperatoris Turcarum prioris, in quem tantopere confidissent, deinde sentire forsan etiam morsus propriae conscientiae, et dolere quod in preterito tam male egissent, preuidere etiam imminetia pericula. Super matrimonio Senaschj habuit etiam verba cum Bekes, et refert Bekes id inter caetera valde cupere visum esse; credere etiam se, Transiluanum in posterum meliorem futurum, maxime si matrimonio aliquo obligaretur, quod etiam in prioribus tractationibus semper maxime respexisset, quod si non alia saltem filia ducis Bauariae illj iungeretur, vt ex sanguine jmperatoris coniugem haberet, et ita magis illj obligaretur.

Bekes etiam illj inter caetera dixisse, si princeps suus habuisset certam spem de sorore caesariae maiestatis, nunquam rem in talem statum fuisse deventam, sed semper illj verba dubia et incerta fuisse data etc. et tandem plane denegatam.

De rege Poloniae illum etiam quesijsse ex Bekes, eum respondiisse, quod omnem thesaurum suum principi suo testamento legasset, et quod libenter illi regnj successionem traderet, sed cum ea res ex arbitrio et voluntate regnicolarum stet, tamen suam illj vocem legaturum et promoturum rem apud regnicolas, quoad fierj posset, archiducem Ferdinandum nolle Polonos, archiducem Carolum vocarj ad regnum Austriae, neque maiorem spem pro principe suo adhuc apparere Bekes quoque cum a nuncio esset quesitus, an in ista tractatione pacis statim progredj et concludere vellent, respondiisse quod statim nobiscum concludere optarent, cum illj quoque obiectum fuisset, quare priorem pacem non servassent et ita tot malo-

rum causam praebuissent, respondit omnia ex isto profecta, quod voluissemus arces et ciuitates et consiliarios caesariae maiestati manifesto juramento obligarj, quod illj propter metum et periculum Turcarum et illis invitis prestare nullo modo potuissent.

Quod sibi nuncio videretur illos in praesentj tractatione non tam vrgere aliquorum locorum restitutionem, quam vt locus aliquis in Bohemia principj Transilvano assignaretur.

De caetero non bene illis cum Turcis iam conuenire, nam bassam Temesiensem valde cupere, vt vicina castella et ipsum quoque Varadinum in Turcorum potestatem cedant.

Nota.

Superiora iussus Senaschj a Bekes mihi nunciare, sed post multorum dierum colloquia et conuersationes, in quibus a principio Bekes multas difficultates movit super hac tractatione pacis, allegando quomodo princeps suus parum suae maiestati confidere posset, maxime cum in isto bello non paruas iniurias illj intulerit. Deinde etiam antea nunquam cum suo principe sinceriter actum esse, semper hoc cupiuisse Germanos, vt illj etiam vitam et regnum adimerent, de matrimonio cum sorore sacratissimae maiestatis fraudulenta tantum verba intervenisse, vt eo magis detineretur et deciperetur princeps suus. Deinde apparere caesaream maiestatem male esse animatam erga totam nationem Vngaricam, Germanos illam deletam cupere, suam maiestatem nihil beneficij conferre in optime meritos, quod erga illis boni sperandum sit, Senaschj vero excusasse et iustificasse partes suae maiestatis meliorj modo quo potuerit, tandem Bekes confidentius cum illo cepisse agere, et supra dicto modo super tractatione pacis se aperuisse etc. semper adjiciens, modo confidere suae maiestati possent, principem suum facile ad omnia equa et digna inductum irj.

De conuentu principis suj cum demortuo Turcarum jmperatore hec retulit Bekes, tulisse illum maxima munera. Ad conspectum admissum presentibus supremo tantum vezirio et interprete salutatum filium laudasse, quod venisset, quid peteretur, respondiisse se cupiuisse conspectum suum videre, cum et grandeus iam est, et ipso quoque morbis

conflictaretur, gratias egisse de omnibus beneficijs, illum denuo charum filium appellatum venisse in illius gratiam in Vngariam cum laturum illum statim summis beneficijs, Agriam obsessurj, inde mandata ad omnes Vngaros daturum, quicumque se illj subijcerent, framea sua protecturos, reliquos perdituros, quod reverteretur, extraheret aduentum suorum gentium, caueret sibi a duce Lazaro, dedisse illj munera 4 equorum et inter illos vnum ornatum.

Hátára jegyezve: Relation Eins Edelmans Senaschj Steffan, den der Forgasch vf des Bekes Hochzeit geschickt hat. Der Bekes aber hat darumb dise vertrauliche handlung vnd vnderredung mit jme gepflogen das sij von jugent auf ein andern bekant vnd mit einander erzogen sein worden, so weit der Forgasch durch anmanung bej dem Bekes zur fridshandlung auch etwas vrsach dazu geben haben.

(Eredeti fogalmazvány a bécsi cs. titkos levéltárban)

KAZINCZY FERENCZ EREDETI LEVELEIBŐL.

(1786—1831.)

